



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioannis Macherentini Societatis Iesv Theologi,
Explanatio Catechismi Catholici**

Macherentinus, Johannes

Colon., 1612

Capvt Secvndvm. De Spe, Desiderijs, Et Oratione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39397



CAPVT SECVNDVM.

DE SPE,
DESIDERIIS,
ET ORATIONE.

*Post fidem de qua re instituendus est
Christianus?*

DE Spe. Etsi enim tria sint, testante Pau-
lo, quæ nos in hac vita ad futuram bea-
tamque deducant, *Fides* nimirum, *Spes* &
Charitas, & maior horum sit *Charitas*, tamen
post cognitionem diuinorum, quæ fidei est,
confidimus nos ea posse consequi, quod ad
spem pertinet. Postremò ad charitatem per-
uenitur, qua Deus vt pater amatur, & suæ
nos gloriæ participes facians.

*Petr. 2. 6.
lib. 1. In-
stitutione
Christ. c. 3.
1. Cor. 13.*

Quid est spes?

Spes est quædam voluntatis humanæ à
Spiritu Sancto confirmatio & roboratio:
qua non obstante propriæ fragilitatis cogni-
tione, & validissima impugnatione dæmo-
num, neque obstantibus peccatis, periculis
& impedimentis seculi, felicitatem æternam,
cæteraque ad eam necessaria, bona scilicet
omnem excedentia creaturæ cognitionem,
confe-

consecuturam se fudit, Dei inexcogitabili bonitati innixa; atque ita fudit, ut non quasi nutans & incerta langueat, ac torpeat: sed magna alacritate & certitudine ea desideret, pro eis cuncta bona & vitam etiam ipsam promptissime parvipendens.

Quis spei auctor & finis?

1. Pet. 1.

Hoc indicat B. Petrus, cum ait: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam, regeneravit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hereditatem, incorruptibilem & incontaminatam, & immarcescibilem conseruatam in caelis: Vnde & B. Paulus nos spe saluos factos esse affirmat.*

Rom. 8.

Quae licet sperare?

Omnia quae voluntas nostra, & naturali ratione, & lumine fidei illustrata, desiderare iuste & dignè potest. Ita nobis promittente Christo: *Si manseritis in me & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis & fiet vobis. Fiet, (inquit) quodcumque petieritis manentes in me, hoc est, sequentes exempla doctrinamque meam. Hæc autem omnia, suo ordine in oratione Dominica collocantur. Est enim oratio illa non solum forma ornandi, sed instructio etiam perfectissima.*

Spes nostra quo nititur fundamento?

Primum quidem diuinæ bonitati gra-
tiae

riæ ac potestati immensæ innititur.

Deinde amplissimis meritis Iesu Christi.

Tertiò maximis certissimisque promissionibus Saluatoris nostri.

Postremò fraternitati vnitatiq̄ seu communioni Ecclesiæ, & auxilio intercessioniq̄ Sanctorum in cœlis ac terra degentium.

Qui rectè sperant quibus vtuntur medijs ad ea consequenda que sperant?

Primum oratione, deinde bonis operibus atque meritis, gratia Dei cooperante productis, denique conatibus assiduis ad gratiam, charitatem, & cæteras virtutes, atque ad earum augmentum. *Omnis enim, ait B. Ioannes, qui habet hanc spem sanctificat se, 1. Ioan. 3. sicut & ille sanctus est.*

Quid est oratio?

Medium quoddam, quo homo cum diuina maiestate negotia sua confert & pertractat.

Franc. Costerus lib. 5 Institut. Christian. cap. 1.

Quid oraturo precipuè curandum?

Bonum orandi modum teneat, quisquis cum Deo agere statuit; sicut enim mens eius atque sententia, qui alieno idiomate loquitur, ab eo qui audit, non intelligitur, & qui minus ciuiler sua proponit, aut parum ad mores & titulos aulicos accommodatè, parum efficit, ita non auditur à Deo, quisquis more cœlestis aulæ orationis suæ modum non instituit. Sic repudiata fuit

G ta fuit

2. Mac. 9. ta fuit oratio Antiochi, sic Pharifæus non
 Luce. 18. fuit exauditus. Et quibusdam fit oratio
 Matth. 6. peccatum. Cœleste idioma oblitus Adam
 cum vxore, didicit linguam inferorum ma
 gisterio serpentis, excufans excufationes in
 peccatis. CHRISTVS secundus Adam in
 aula cœlesti verfatus, reduxit idioma cœle
 ste, suosque ritè Deum comprecari docuit.

Qua orandi formula vtendum?

Multæ quidem fuerunt in veteri lege o
 randi formulæ, à Spiritu Sancto præscriptæ
 in Pfalterio, & libris Prophetarum; sed nul
 la conferri cum ea oratione debet, quam

Matth. 6. CHRISTVS DEVS ipfemet tradidit & præ
 scripsit.

Primò, quia hanc Filius Dei composuit,
 quem Pater audiri voluit, cuius verba cog
 noscit, præfertim si Spiritu filij pronuncietur,
 neque potest Filius non adiuuare & pro
 uehere orationem hanc suam, quam ipfius
 mandato fundimus præceptis falutaribus
 moniti, & diuina institutione formati, maxi
 mè cum aduocatus fit noster, & patronus
 apud Patrem, nosq; tunc exaudiendos dixe
 rit, quandocunque in suo nomine quidquid
 petiuerimus, multoq; magis si eius verbis
 orantes vfr fuerimus.

1. Ioan. 2.

Secundò, quia hac oratione omnia que
 sanctè à Deo peti possunt, & eo ordine, quo
 petenda sunt continentur.

Ter-

Tertiò, quia breuiffima, vt citius memoria mandetur, facilius intelligatur, frequentius repetatur.

Quartò, quia diuerfis petitionibus tanquam membris & articulis distincta, occasionem præbet ijsdem crebro proiaculatorijs orationibus, etiam in medijs occupationibus vtendi.

Quæ sunt Dominica orationis partes?

Præfatio, & septem petitiones. In præfatione tria sunt verba quorū 1. (Pater) quo quædam admodum oraturi in Deum affecti esse debeamus, significatur: 2. (Noster) qua voluntate in proximos. 3. (Qui es in cœlis) quo pacto in nos ipsos constitutos esse oporteat.

Cur vult Deus à nobis pater appellari?

1. Vt conditionis nostræ excellentiâ considerantes, nihil ea indignum committamus; *Rom. 8.* impiorū mores, vt filijs indignos, vitemus; consilia dæmonū, Deo patri aduersantium, repudiemus; cœlestis patris moribus animū imbuam⁹ (vt *simus imitatores Dei, sicut filij charissimi*) quia merito seq̄tur patrē sua proles.

2. Vt semper beneficiorum diuinorū memores, gratias agamus: siquidem nō natura filij sumus, sed gratuita misericordiâ; adoptione, qua (nobis communicato & infuso *1. Ioan. 3.* in corda nostra Spiritu filij sui) primò quidem filios Dei nos dici & esse voluit: deinde verò paterna cura pascit, diligit, fouet, re-

Psal. 90.
Matth. 18.
Rom. 8.

git, beneficijs ornat, & Angelis suis nobilissimis cœli principibus custodiendos ac protegendos committit, & deniq; effusa liberalitate nos hæredes suos, Christi q; cohæredes instituit & scripsit,

3. Vt præter gloriam patris nihil vnquam quæramus; filiorum est enim studere commodis & dignitati parentum,

Postremò hac voce monere nos voluit, quo in Deum patrem cœlestem animo & affectu esse debeamus; fide, spe & charitate, in eum feramur; pietatem & venerationem & obedientiam ei exhibeamus; vires omnes, & facultates, & quidquid habemus & sumus, in eius obsequium expendamus, vt qui est moderator, redemptor & amantissimus pater noster,

Nomen patris quas exigit conditiones?

Vnam, vt deposita voluntate peccandi, reconcilieris Deo, ne vt hostis ores, sed vt filius; alteram, vt magna fiducia ad Deum accedas; quia ab optimo patre nihil non impetrabit filius,

Quare orantes non dicimus pater mi?

Noster posuit Christus, non meus, vt quo affectu in proximos Deus adeundus sit intelligamus: Fratres enim sumus, quotquot mortales viuimus, vt spiritum atque lucis vsum, ita communem habentes patrem, qui

ORATIONIS DOMINICÆ. 101

qui creauit omnes, redemit, alit, gubernat, seu à vera religione alieni illi sint, siue Christiani.

Peculiari tamen ratione sunt fratres, qui pretioso Christi sanguine à peccatis abluti, eundem Christi Spiritum Sanctum in corda sua quo vegetantur, viuunt, & aguntur de cœlis acceperunt, cohæcetes regni cœlestis. Itaque monemur primò hac voce, (Noster) vt ante orationem depositis odijs & inimicitijs, cum proximo in gratiam redeamus, iuxta illud: *Relinque munus tuum ante altare, & uade priùs reconciliari fratri tuo: proximis nostris, qualescunque illi tandem sint, charitatis affectum exhibeamus, & indigentibus Eleemosyna, & pijs officijs subueniamus; vt hac ala oratio in cœlum attollatur, & euolet.*

Habes & alias causas?

Secundò, vt humilitatis memores, nemo spretis cæteris, sese efferat, aut diuitijs, honoribus, auctoritate maiorem arbitretur se, aut amplius aliquid esse, quam sint pauperes, ignobiles, subditi, cæteri que quorum nobis abiectior & obscurior videtur conditio. Hi enim cum Deo loquentes, non alio quàm Patris nomine eum compellunt, & quæcunque demùm sit fortunarum fors atque ratio, talis quisque reuera est, qualis apud Deum patrem æstimatur.

Tertiò, vt hæc oratio communis esset, &

G 3 in

in vtilitatem communem membrorum Ecclesie aliquid singulis conferret. Tametsi, namque ista oratio (sicut & ceteræ quæ ad Deum funduntur) pro orantis voluntate & mente, possit quibusuis, etiam ijs qui sacris Christianis non sunt initiati, applicari, ex se tamen, vique sua ad solam eorum vtilitatem refertur, qui in Ecclesia ad communionem Sanctorum pertinent, seu viui illi sint, seu vita functi.

QVI ES IN COELIS.

Quid in cœlis Deum esse dicimus, qui natura sua vbique est, nec vlllo loco concluditur?

*Deut. 4.
Ier. 23.*

Primò, quia illic cernitur illustrior ipsius operatio, vbi à sanctis videtur & habetur: sicut animæ, quæ per totum corpus diffusa est, dicitur caput sedes vel cor, quod in illis partibus magis vigeant eiusdem potentie, & operationes.

Secundò, quod illic humanitatem suam Christus collocarit, ibique sit sedes beatorum angelorum, sanctorumque omnium, qui in cœlis tanquam in aula Dei commorantur.

Tertiò, quod in cœlo Deus perfectè regnet, eique omnia perfectè obtemperent.

Quartò, de cœlo moderetur hunc mundum,

dum, pluias dimittens, solis luce, lunæque D. Aug. epi. 57.
splendore terram illustrans, stellarum, cœ-
lestiumq; corporum dimissa è cœlo vi, cor-
pora hæc naturalia efficiens, sanctis angelis
nostri curam committens, &c.

Quare non in cœlo, sed cœlis dicimus?

Quod licet in beatitudine illa æterna Ioan. 14.
mansiones sint multæ, varijque ordines an-
gelorum, in omnibus tamen videatur, &
possideatur Deus.

Hæc verba cuius rei nos admonent?

Primò, quonam pacto nos ad orationem
comparare debeamus, vt mentem à terrenis
ad cœlestia eleuemus, vbi pater noster est,
quem alloquimur; curasque vanas & inanes
cogitationes ab animo remoueamus, secuti Exod. 24.
exemplum Moylis, qui ad colloquium con-
gressumque diuinum venturus, montem
conscendit, & in nebulam, vt oculis nihil
terrenum obuersaretur, penetrauit.

Secundò, vt magna reuerentia tum ex-
terna corporis, & gestuum, tum interna ani-
mi Deum precemur; quia pater est, non ig-
nobilis, sed cœlestis.

Tertiò, vt nihil à Deo, nisi quod cœleste
est, atque ad cœlum nos dirigit vnquam pe-
tamus.

Quartò, quo altiùs in cœlum ascendat Luce. 21.
oratio, corpus & mentem crapula ne gra- Rom. 13.

G 4 uemus,

uemus, sed sobrietatis ac temperantiæ studiosi, ad eleemosynam etiam ieiunium, velut alteram alam orationi adiungamus.

Quid ipsis petitionibus complectimur?

Prioribus quatuor rogamus bona nobis concedi: posterioribus tribus cupimus mala depelli.

PRIMA PETITIO.

SANCTIFICETVR NOMEN
tuum.

Quid per nomen intelligis?

Nomen, non dicit hanc vocem, Deus, vel aliam quampiam, quæ Deum significet, sed Deum ipsum, Dei potentiam, maiestatem, bonitatem, cæteraque attributa, quæ in Deo colenda sunt & veneratione prosequenda.

Nomen Dei potest à nobis sanctificari?

Sanctificari, non est, sanctum fieri, quomodo diem sanctum sanctificare iubemur, quia sine nobis nostraque opera, est sanctum nomen eius; sed sanctum agnosci, laudari, magni fieri; iuxta illud: *Magnificat anima mea Dominum*, qua ratione nomen Dei potest & debet à nobis sanctificari.

LUC. I.

*Quid primum locum obtinet in omni
bona oratione?*

Gra-

Gratiarum actio, quam hac petitione Deo habemus, postulantes vt tum pro beneficijs apud nos, vniuersamque creaturam collocatis, tum pro maiestate sanctitateque sui nominis, gloria eius innotescat omnibus, & apud omnes amplificetur. Hoc enim est Deo gratias agere, quando aliud rependere non possumus. Itaque sanctificetur nomen tuum, idem valet.

Primò, gratias tibi ago Deus æterne, propter magnam gloriam tuam, pro beneficijs tuis in me collatis.

Secundò, me ipsum tibi in seruum, meaque omnia diuinæ maiestati tuæ consecro.

Tertiò, precor vt præter gloriam nominis tui nihil vnquam desiderem, ad illamque actiones meas omnes semper referam.

Quartò, rogo vt tui notitia, toto orbe diuulgata, ad omnes homines diffundatur, maiestas tua & bonitas ab omnibus vita & verbis commendetur; & sicut in cælo, ita & in terra, à *solis ortu vsq; ad occasum laudetur nomen Domini*: Et quia pro suo quisque ingenio, hi suauitate ad pietatem ducuntur, alij seueritate impelli debent: precor vt vel benignitate omnes ad Dei cultum trahas, vel verberibus intrare compellas.

Quintò, largire fidelibus cunctis in fide constantiam, vt superatis hæresibus atque

erroribus vniuersis, quam corde tenent fidem ore quoque profiteantur.

Sextò, de cunctis Christianis, verum zelum animarum, vt ad multorum salutem, neque laboribus fracti, neque molestijs fatigati, incumbant, ne aduersitatibus debilitati languescant, & magno animo tuoque auxilio salutis impedimenta remoueant.

Dan. 3. Septimò, precor denique vt laudem tibi dicant creaturæ tuæ omnes, vt *benedicant omnia opera Domini Deo, laudentque & superexaltent eum in sæcula.*

Collige huius petitionis fructum.

Nihil æquandum, nedum præferendum, diuino honori, serioque expendenda beneficia diuina, & pro ijs quotidie ex corde habendæ, agendæque gratiæ.

S E C V N D A P E T I T I O .

A D V E N I A T R E G N V M
tuum.

Quid post amplificationem diuini nominis petendum?

Mat. 6. Primo loco bonum illud ad quod creati sumus, quod super omnia nobis est commendatū, quodque omnibus rebus est præferendum. *Querite, inquit, primum regnū Dei & iustitiam eius. Hęc est felicitas vitę æternæ.*

Reg.

*Regnum Dei in sacris literis quid
denotat?*

Quatuor: iuxta quatuor modos quibus
Deus res creatas regit & moderatur.

Primò, gubernationem totius orbis, iuxta
illud: *Regnum tuum regnum omnium seculorum.
Rex omnipotens Domine vniuersorum in ditioe Hest. 13.
tua cuncta sunt posita.*

Secundò, Ecclesiam Catholicam, quod
politiam à Christo institutam obseruet, Dei-
que legibus, & à Christi vicario, eiusque mi-
nistris in terra regatur.

Tertiò, Spirituale & internum regnum,
quo sanctissima Trinitas in animas nostras
ueniens, & mansionem apud nos faciens per
gratiam Spiritus Sancti suauiter nos guber-
nat, facultates ac vires animæ dirigit, atque
in suo obsequio nos continet. Ita *regnum Dei Lucæ. 17.
intra vos est*, Christusque Rex præsidet, comi-
tatus virtutibus, & Spiritus Sancti charisma-
tis, quæ animæ potentijs ceu custodes præ-
sunt, sicut Apostolus inquit: *Non est regnum
Dei esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium Rom. 14.
in Spiritu Sancto.*

Quartò, Vitam æternā in qua tum Deus
ipse perfectissimè regnat, obsequentibus ad-
nutum Sanctis omnibus; tum nos regnabi-
mus cum Christo facti Sacerdotes & Reges
summa libertate, nobilitate, præstantia, im-
perantes Dæmonibus, *facientes vindictam in Psal. 149.*

naticæ

nationibus, increpationes in populis, alligantes reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manibus ferreis.

De qua regni Dei significatione agitur in hac petitione?

De postrema præcipue. Petimus itaque primo, hereditatem cœlestem nobis seruari, ne ab ea unquam excidamus, ne *alius accipiat coronam nostram*: imò petimus regnum nobis aduenire, tum ut in hora mortis nostræ Christus nos visitet, in suamque gloriâ adducat (ita enim promisit, *cum præparauero vobis locum, iterum veniam, & assumam vos ad meipsum*) tum ut in iudicij die, quando de cœlis Christus cum aula cœlesti est descensurus in terram, ad rem commodumque nostrum veniat, nosque regno suo adscribat.

Et quia ad regnum illud consequendum, multum facit ardens illius desiderium, ut cupiamus *dissolui & esse cum Christo*, desiderium verò illud non parum exardescat cœlestis beatitudinis perfecta notitia; petimus secundo, ut auocata mente à terrenis rebus omnibus, primum quidem consideremus & intelligamus, quanta sint illa, quæ præparauit Deus diligentibus se; deinde verò in illa, omni mentis studio feramur, & præ desiderio illius pretiosi thesauri, arbitremur ut stercora, quicquid ad spectui speciosum mundus offert.

Cæte.

Cæterum quia vires nostræ ad eò imbecilles & fragiles sunt, vt ad tantum regnum conscendere non valeant, & iter ipsum periculis plenum sit & infestum: rogamus tertio; vt regnum Dei iuxta tertiam significationem in nos adueniat, hoc est, vt sanctissima Trinitas, sua gratia nos visitet, & ne regnet peccatum in mortali hoc corpore nostro, vt Deus perfectè habitet in membris nostris, nosque peracto vitæ huius curriculo, in æternam ecelorum gloriam vehat. Sicut enim tutissimè proficiscitur in regnum, qui est in comitatu Regis, & aulæ Regiæ; ita sine discrimine omni & detrimento, ille perueniet in cælum, in cuius anima sanctissima Trinitas suam aulam constituit, illamque virtutibus ornatam secum è corpore ducit.

Quarto, potest iuxta secundam regni acceptionem à nobis peti, vt regnum Dei, hoc est, Ecclesia Catholica, destructis hæresibus, & erroribus vniuersis, per orbem terrarum propagetur.

Cur voluit Christus hoc loco potius vt vocabulo regni quam vitæ æternæ, vel alio quopiam?

Primò, vt nobis Dei benignitatem commendaret, qui nobis regnum suum offert, dissimilis regibus huius mundi, à quibus petere regnum grauissimum est flagitium.

Secundò,

2. Reg. 2. Secundò, vt discamus mortem non me-
tuere, quæ non ad calamitatem, sed ad Dei
regnum aperit ianuam filijs Dei.

Sap. 3. Tertio, vt pauperibus consolationem
adferret, qui licet ad tempus hic adfligan-
tur, nati tamen ad regnandum, breui sus-
cepto regno *indicabunt nationes, & dominabun-
tur populis*, regnaturi cum CHRISTO in
æternum.

Qui hinc nascuntur fructus?

Discimus primò in hac vita nihil vile aut
humile cogitare, cuiusmodi est mundus, sed
ad regnũ cœleste aspirare; absurdum quippè
est hæredem regni, agere porcos, aut aliud
vile quidpiam officium exercere.

Discimus secundò, laborem aliquem su-
mere, ad hoc regnum consequendum, vtpo-
tè quod non datur otiosis, sed laborantibus,
pugnantibus, vincentibus,

FIAT VOLUNTAS TUA SICVT
in cœlo & in terra.

*Post vitam æternam ad quam conditi atque re-
dempti sumus, quid vehementius optan-
dum & petendum?*

Media illa quibus ad assequendam eam
iuuamur.

Quo-

ORATIONIS DOMINICÆ. III

Quotuplicia sunt media?

Duplicia, spiritualia & corporalia: de spiritualibus, tanquam potioribus, & præstantioribus, agitur hac petitione cuiusmodi est, facere voluntatem Dei, eiusque mandata exequi. *Nō enim omnis qui dixerit Domine, Mat. 7. Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui fecerit voluntatem patris cælestis, ipse intrabit in regnum cælorum: & qui vult ad vitam ingredi, seruet mandata.*

Faciamus nos voluntatem Dei, quid necesse est petamus vt fiat?

Equidem si primus parens noster inobedienciæ scelere se non alligasset, non esset in diuinorum præceptorum obseruatione magna molestia, quod homines sponte sua ad illa obseruanda traherentur, quemadmodum cæteræ creaturæ, quæ naturę instinctu, cursum suum tenent, & Dei instituta persequuntur; at post peccatum, corrupta natura, in vetitum nititur homo, vt sine peculiari Dei auxilio, cuiusuis potius, quam Dei voluntatem sequatur. Captiuus enim tenetur ad voluntatem dæmonis, conuersatur in desiderijs, & voluntate carnis & cogitationum, quæritque inuenire & perficere voluntatem suam. *2. Tim. 2. Ephes. 2. Isaiæ. 58.*

Dei voluntas in scripturis quot modis accipitur?

Duobus: vno propriè, pro ipsa Dei voluntate.

luntate, quæ est Deus ipse immutabilis in consilijs: quæ voluntas semper impletur, & neque impediri, neque euitari ab aliquo potest: iuxta illud, *Consilium meum stabit, & voluntas mea fiet*, nec est qui possit resistere huic voluntati: quia *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum*. Hanc voluntatem non petimus impleri, quippe quæ nobis non petentibus continenter impletur, neque rogamus, vt faciat Deus voluntatem suam, qui *omnia quæcunque voluit, fecit*.

Alio modo voluntas Dei methaphorice dicitur, quidquid eius voluntatem declarat ab eaque procedit, vt præcepta, leges, institutiones, quas vocat Apostolus voluntatem Dei bonam; Item consilia, quæ voluntatem beneplacentem: perfectissimumque illud mandatum, vt sine concupiscentiæ sensu, toto corde, tota anima, tota mente, & omnibus viribus, continua cõsideratione, & charitate adhæreamus Deo, quam appellat voluntatem perfectam, in æterna demum beatitudine perfectissime implendam; quo cum ducant virtutes, sanctitas, omnisque pietas, ad Dei vtique voluntatē pertinebunt, quæcunque sunt à Deo accepta, & vt ait Apostolus: *quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ: si qua virtus, si-*

Isaie. 46.

Hest. 13.

Proue. 21.

Psal. 113.

Rom. 12.

Vide magni mandati expositionem cap. 3.

Phil. 4.

1. Thes. 4.

qua

qua laus disciplina; hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio nostra.

Vnde Dei voluntas elucet?

Primò, ex scripturis, quæ nobis mandata Dei, generaliaque eius consilia edifferunt.

Secundò, per Ecclesiam, cuius mandatis Christus obtemperari voluit.

Tertiò, per superiores, seu Ecclesiasticos quibus dictum est: *qui vos audit, me audit*, seu *Matth. 23.* sæculares: quibus obedientia præstanda est, non solum *propter iram, sed etiam propter conscientiam; nam qui potestati resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* *Rom. 13.*

Quartò, ex iudicio rationis, & dictamine conscientiæ, præsertim in negotijs nostris, & quæ pro re nata, occurrunt: quia *si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus, quia mandata eius custodimus.* *1. Ioan. 3.*

Paucis ergo quid petamus enarra?

Primò, gratiam obtemperandi diuinis præceptis, & ab alijs abstinendi, quæ Deus prohibuit, eamque in Dei voluntatem perficiendi constantiam, vt mortem qualemcunque eius voluntati posthabeamus.

Secundò, vt contraria velimus, & desideremus ijs, quæ mundus, Caro, & Diabolus amant & suadent, atque superatis vitijs, prauisque affectibus, superbix, auaritiæ, &c. contrarijs virtutibus studeamus.

H

Ter-

Tertiò, vt in rebus omnibus nostris voluntatem suam, Deus nobis aperire dignetur, vt siue genus aliquod vitæ sit deligendū, siue aliud quiduis aggrediendum, ipsius cōfilio & voluntate, dirigamur.

Quartò, vt si fortè vel ignorantia, vel infirmitate humana, id desideraremus & peteremus, quod ad diuini nominis gloriam, nostramq; salutem minus esset aptū, id nobis pro sua bonitate Deus recuset, eiusque loco tribuat aliquid magis salutare, sæpè etenim, neque quid dicamus cum B. Petro, neque quid petamus cum matre filiorum Zebedæi, neque cuius spiritus simus, cum eiusdem filijs, satis nouimus.

Luc. 9.

Matt. 20.

Luc. 9.

Quintò, denique, hac petitione totos nos damus in manus D E I, vt dummodo in nobis atque per nos sanctificetur, & celebretur nomen Domini, ipse de nobis pro bona voluntate sua in omnibus rebus constituat: estque perfectissima oratio, similis illi orationi Christi, qua petebat in horto, non suam, sed Patris sui voluntatem fieri.

SICVT IN COELO ET
in terra.

*Quid appendicula, Sicut in cælo &
in terra?*

Postulamus formam huius obedientiæ,
vt nempe dirigatur ad normam obedientiæ
cæle-

ORATIONIS DOMINICÆ. II 5

cœlestis, ubi angeli sancti, à perfecta obedientia, epitheton habent obedientium: *facientes*, inquit Dauid, *verbum eius, facientes voluntatem eius*; sicut in inferno dæmones nomen sathanæ ab aduersando & repugnando. *Psal. 102.*

At verò propter humane nostræ naturæ fragilitatē fieri nequit, vt ad eum perfectionis gradum ascendamus.

Vocula (Sicut) non æqualitatem sed similitudinem significat; vt sicut omnes angeli semper alacriter, integre, spōte sua, nullo suo commodo, sed gloriæ Dei intuitu ad nutum obtemperant, vt ita in hac vita omnes Deo pareant, postulamus.

Fructus huius petitionis qui sunt?

Discimus primò, vt in obseruatione mandatorum Dei, non intueamur; quid homines agant, nec per illorum inobedientiam, excusemus nostra peccata: non enim ad homines mortales remittimur, sed ad angelos; & multitudo peccantium, nec eripit à gehēna, nec minuit poenam, sed auget: quia non minus ardet, sed vehementius, qui cum multis ardet.

Discimus secundò, quanti facienda sit virtus obedientiæ, à qua potissimum nobilissimi illi Spiritus commendantur; quam vt præstaret Christus, de cœlis ad nos venit. *Descendi, inquit, de cœlo, non vt faciam voluntatem* *Ioan. 6.*

H 2 tem

tem meã, sed eius qui misit me Patris: quam tanto desiderio præstitit, vt diceret: Meus cibus est, vt faciam voluntatẽ eius, qui misit me, vt perficiam opus eius: quam denique tantoperẽ nobis commendauit, vt summam in ea dignitatem poneret. Qui fecerit, ait, voluntatem Patris, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror & mater est.

Discimus tertio, in obedientia non intueri personam hominis, sed Dei iubentis, cuius personam representat homo superior, & qui à Deo præcipiendi potestatem legitime est consecutus.

Q V A R T A P E T I T I O.

PANEM NOSTRVM QVOTIDIANUM DA NOBIS HODIE.

Quare prius spiritualia bona, ac deinde temporalia petimus.

PRimò, quia quæ prioribus postulantur, sunt præstantiora, & bona ex se nature sue, sunt enim spiritualia ac perpetua, & eiusmodi propter quæ potissimum homo est à Deo creatus; ea quæ modo petimus, licet ab hominibus passim auidius desiderentur, & diligentius curentur, viliora tamen sunt, vtpotè corporalia, caduca, & non per se sed quæ ex parte, ad vitæ sustentationem sunt necessario, expetenda.

Secun-

Secundò, quia non meretur impetrare temporalia, nisi qui prius pro spiritualibus bonis fuit sollicitus. Igitur hic oramus nobis à Deo dari necessaria ad vitam tolerandam, & ad officium nostrum colendum utilia, ne vel pressi inopia, peccatis indulgeamus, vel nimia sollicitudine terrenorum, animum à cogitatione rerum diuinarum abducamus, vel nimis diuitijs elati, insolef- *Pro. 30.* camus, voluptatibusque dissoluamur.

Cæterum, quia hominum curæ, & quotidianæ sollicitudines, ferè non alio, quam ad temporalia bona consequenda diriguntur, ne prolixius minusque decenti oratione, pro hisce Deum obsecrarem, voluit Christus verba ipsa præscribere, quæ & modestia sua, & quia filij Dei sunt verba, maiorem vim haberent ad impetrandum, quam quæuis alia tametsi copiosa, & rhetorico artificio ad persuadendum de industria comparata.

P A N E M

Nomine panis quid intelligis?

OMnia quæ ad hominis sustentationem *Pro. 30.* requiruntur; quo modo petebat Salomon sibi *tantum tribui victui necessaria*, comprehendens sub victu etiam vestitum, domum, & reliquas vitæ commoditas.

H 3 *Quare*

Quare voluit Dominus à nobis peti non carnes, pisces, aut alios cibos, sed solum panem?

Primò, vt ex his terrenis nihil desideremus amplius, quam quod ad alendum corpus est necessarium.

Secundò, vt si præter panem, & necessariam sustentationem, aliquid detur, id omne cum magna gratiarum actione accipiamus, & in magni ac singularis beneficii loco reponamus, neque enim digni sumus pane illo quo vescimur.

Tertiò, vt imbecillitatem nostram profiteamur, qui ne panem quidem ipsum, nobis ad vitam necessarium, sine Deo parare possumus.

Quartò, vt Deo in rebus omnibus fidamus, qui tantam nostri curam gerit, vt non *Matth. 6.* maiora solum, sed minima quoque illa, vt panem & aquã, benignissimè liberalissimeque nobis largiri sit paratus.

N O S T R U M

Quid verbo illo (nostrum) indicatur?

Primò, Dei charitas, qui facit vt nostrum sit, quod suum erat; & malis filiis nullo titulo debebatur.

Secundò, vt vitæ necessaria nobis, iusto titulo paremus, ne aliena furto, malisque artibus, inuadamus & vsurpemus: vt labore & ho-

& honesto lucro vitam propagemus, omnique malorum fontem otium fugiamus.

Tertiò, vt meminerimus cibos omnes, æqualiter omnibus hominibus, à Deo creatos; ne diuites sibi delicias deberi putent, pauperibus panem cibarium, & atrum.

Quartò, (nostrum,) id est, qui naturæ conueniat, ne illa vsurpemus, quæ nobis officiant, vt fungos ad cibum, vestes ad corporis valetudinem non rectè paratas.

QUOTIDIANVM

Cur non potius Paschalem panem, quam qui est in quotidiano vsu petimus?

Primò, vt non consecretur corporis delicias & superfluas commoditates, non avaritiæ, non opibus coaceruandis fludeamus; *1. Tim. 6.* sed habentes alimenta, & quibus tegamur. his contenti simus.

Secundò, vt fragilitatis nostræ memores, nō superbiamus; nisi enim quotidiano cibo vires repararemus, citò interiret vita nostra. In hoc etiam bestijs & plantis miseriore, quod hæ vilioribus vescantur, reddantque præstantia, poma, vinum, lac, lanam, &c. nos meliora consummamus, & præter inutilia stercore, nihil ex corpore demus.

H 4 DA

D A

*Quare petimus vt nobis det Pater cœ-
lestis panem?*

Discimus primò, ad humilitatem nos omnes esse mendicos Dei, seu diuites, seu pauperes, atque ad ianuam magni patris familias eleemosynam petere. Quapropter sicut absurdum est pauperem vnum, aduersus alterum superbum se præbere ob frustū panis, paulò maius sibi mendicanti datum; ita ridiculum est in conspectu Christi atque sanctorum, hominem mortalem insolenter se offerre, propter exiguam, quam præter ceteros, à summo rerum omnium Domino, portionem accepit.

Secundò, discimus nihil quicquam, nisi de manu Dominici accipere, hoc est, iustè, & ad Dei voluntatem, quia eius solius est *orbis terrarum & plenitudo eius*, mentitusq; est *Dæmon*, cum diceret : *Me sunt omnia, & cui volo, do ea.*

Lucæ. 4.

Tertiò, discimus comparisonem rerum ad viuendum necessariorum, plus à Deo, quam à nostris viribus & laboribus pendere; quia *nisi Dominus adificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui adificant eam.* Itaque diligenter est ad Deum confugiendum, vt labores conatusq; nostros fortunare dignetur, vt conferuet nobis donata : *ne speremus in incerto di-*

Psal. 126.

1. Tim. 6.

to di-

to diuitiarum, sed in Deo uiuo, vt quæ sumpturi sumus, diuina sua benedictione sanctificet; denique siquid fortè occultæ iniustitiæ, quæ prætereat nos, in bonis nostris lateat, ipse misericordia sua abstergat, ne inde aliquod in capita nostra supplicium redundet.

NOBIS

Quare non vnusquisque sibi, sed nobis petimus dari panem?

Significatur primò, orationem non pro illo duntaxat, qui eã pronunciat, sed pro alijs quoque diuino auxilio indigentibus fieri.

Secundò, bona quæ nobis petimus, sic nobis petenda esse à Deo, vt non in nostram tantum utilitatem conuertamus, sed illis proximorum quoque necessitates subleuemus.

Tertiò, bonis ijs, quæ largitur Deus, non ad animæ detrimentum, sed ad eius salutem vtendum esse, neque grauanda corpora nostra crapula aut ebrietate, sed cibo potuque Luce. 21. cum gratiarum actione moderatè sumpto, ad obsequium Dei recreanda.

H 5 HO-

HODIE.

*Cur vult Deus vt pro præfenti tantum die res
ad necessarios vitæ & vsus pe-
tamus?*

Exod. 16. Primò, vt Deo discamus fidere, qui sicut olim Israelitico populo, quotidie de cælis manna demittebat, ita nobis quotidie paternè providebit.

Secundò, ad nimiam sollicitudinem futuri temporis deponendam, vt quieti Deo, sine anxietate seruiamus.

Luce. 12. Tertio, vt vitæ nostræ incertitudinem ob oculos habeamus. Hodie enim petimus, quia cras fortè hac petitione nõ erit opus, si (quod fieri potest) ex hac vita demigremus.

Collige fructum.

Vt spiritualement animæ cibum, quotidie petere & manducare admoneamur, quia nõ minus pro anima, quæ est potior pars nostra, atque pro corpore conuenit nos esse sollicitos.

Quis est spiritualis animæ cibus?

Matth. 4. Primò, Christus ipse à nobis viua fide susceptus, qui in animam sua gratia illapsus, eam interna quiete & pace conscientie continenter reficit: curanda est igitur pax conscientie perpetua, ne vlla ratione, per peccatum turbetur.

Secun-

Secundò, Verbum Dei lectum, vel auditum, vel interna inspiratione deuotè susceptum; quod est nobis curandum quotidie, ne vlla dies sine oratione meditatione que transeat; sed audiamus quotidie, quid in nobis loquatur Dominus.

Tertiò, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, panis ille viuus è cælo delapsus, & *Ioan. 6.* hominum saluti admirabili Dei bonitate ac potentia consecratus, qui mirificè cum corpus, tum animã reficit, fouet, alit, sustentat; ac proinde quotidie spiritualiter, frequenter re ipsa, in sacramento accipiendus est.

ET DIMITTE NOBIS DEBITA
nostra, sicut & nos dimittimus
debitoribus nostris.

Quid sibi vult quinta petitio?

SEquentibus petitionibus rogamus à nobis tria malorum genera dimoueri, præterita, præsentia, & futura, & quinta quidem ista petitione conamur amoliri mala præterita, hoc est, peccata à nobis commissa, petimusque primò omnia peccata nobis gratis condonari, per Christi passionem; venialia quidem per hanc orationem, aliãque media, quibus illa pro sua misericordia & benignitate clementissimus DEVS, remittere solet, vt est asperio aquæ benedictæ, confessio, sacerdotalis benedictio: Mortalia verò, per
pceni-

pœnitentiæ Sacramentum, quod nobis rogamus suis temporibus impertiri, ne sine eius beneficio ex hac vita discedamus.

Secundò, gratiam rectè confitendi coram Sacerdote de peccatis nostris, recentem peccatorum memoriam, sincerum dolorem propter offensum Saluatorē, constans emendationis propositum, integram peccatorum omnium, apud vicarium Christi enumerationem, voluntatem & facultatem pro delictis satisfaciendi, & quæ iniuste alijs ablata fuerunt, siue res sit, seu fama, seu honor, quo par est modo, restituendi.

Tertiò, si quo casu non sit integrum peccata confiteri, atque ex hac vita migrandum sit absque pœnitentiæ Sacramento; ut veram largiatur contritionem, cuius virtute, cum desiderio cōfitendi, peccata deleantur.

Quartò, ut pœnam peccatis debitam clementer relaxet, omniaque quæ agimus & patimur, in satisfactionem peccatorum suscipiat.

Quintò, ut media suggerat, & donet vitandi in posterum peccata; singula porro verba huius petitionis vim habent suam.

DIMITTE

Cur rogamus debita dimitti?

VT significetur primò, Deum solum offendi

fendi peccatis omnibus, etiam illis, quæ in proximos committuntur.

Secundò, Deum solum dimittere: nam Sacerdotes sunt eius ministri, per quos, ceu per vicarios ipse verba Sacramentorum profert.

Tertiò, neminem mortalium esse soluendo; itaque precamur, vt gratis dimittat, Christi que passionem, pro peccatis nostris accipiat.

Quartò, adferendas esse conditiones eius, qui veniam petit, quæ sunt, vt doleat de offensa, vt statuatur in posterum non offendere, vt speret veniam.

N O B I S

Dictio (nobis) quid hoc in loco indicat?

Significantur primò, hanc orationem esse communem, qua quisque sic sibi orat peccata condonari, vt pro proximis omnibus Christianis idem petat. Verè magna felicitas hominis Christiani, pro quo singuli Christiani, in quotidianis orationibus sunt solliciti.

Secundò, neminem omninò esse hominem, qui non solum humiliter, sed etiam veraciter (ait D. Aug.) hanc orationem dicere debeat, vt pote cui non desint peccata, saltem venialia,
sine

sine quibus vita ista non ducitur ; & forte
pœnæ aliquæ restant expiandæ.

D E B I T A

*Quamobrem peccata nostra debita
vocantur?*

Primò, quia præuaricatorem ad pœnam
diuinis legibus constitutam obligant, non
aliter atque humanarum legum violatores
pœnis suis obstricti tenentur.

Secundò, quia obligant ad restituendum
Deo ablatum honorem , irrogatam iniu-
riam, vsurpatam illicitam voluptatem : ista
enim quolibet mortali peccata commit-
tuntur.

Quantum porro debemus?

Horum debitorum magnitudo, tum ex
infinita maiestate Dei offensi æstimanda est,
ex qua infinitam sortiuntur ipsa malitiam
& turpitudinem, tum ex vilitate offenden-
tis, tum ex grauitate mali commissi ; quo
spreto Deo Opt. Max. transimus ad castra
aduersarij improbissimi tyranni, proculca-
toque Christi sanguine, & reiecta Spiritus
Sancti gratia, honorem Deo debitum, im-
pertimus sathanæ, vnde fit, vt omne pecca-
tum mortale, sempiterna supplicia apud in-
feros promereatur.

NO.

NOSTRA.

Quare vocantur Nostra debita?

Primò, quia pura nostra voluntate commissa.

Secundò, quia in nostris animabus hærent: Discimus igitur 1. peccatorum meminisse. 2. ea non extenuare, sed magnificare. 3. non alijs sed nobisipsis assignare.

Collige hinc fructum aliquem.

Excitatur in peccatore magna fiducia obtinendæ veniæ; quia Deus offensus, inuitat ad veniam petendam, petentibus liberaliter veniam offert.

Cum ceteras petitiones absolute posuerit Dominus, cur huic addit conditionem?

Primò, ut quia, nulla est maior gratia, quam remissio peccatorum, qua peccator & hostis Dei, reconciliatur creatori suo, & ex reo inferni, transfertur in hæreditatem regni cælorum: ea gratia non tribuetur, nisi etiam ipsi aliquid præstemus. *Vide cap. 4 de penitentia.*

Secundò, ut facilitatem obtinendi huius beneficii cognoscamus, quod à nobis ipsis Deus pendere voluit; ut si cõdonemus alijs; dimittatur etiam nobis: conditio quippe facillima est, & quam præstare possunt omnes, quæ non opere aut verbis, alioué labore indiget, sed sola voluntate perficitur. Sicut; est vocula similitudinis, includens conditionem.

ditio

ditionem, si non ignoscamus, nec Deum nobis ignoturum. Rogamus itaque, ut quomodo nos dimittimus, ita dimittat Deus: si semel tantum, si solo verbo, si exigentes aliquam poenam, si imperfectè, ut pari modo nobiscum agat Deus.

Non licet à proximo quod debet postulare?

Hic de offensa agitur, non de debitis pecuniarijs, aut honore, fama que violata, quae sibi restitui quisque velle potest, & aliquando debet; sicut exposcere potest à lædente quandoque poenam, non ad vindictam, sed ad illius, vel aliorum utilitatem.

Abstinendum ne illi ab hac oratione qui non vult ignoscere?

Si quis in animū suum inducere non possit, aut nolit, ut proximo ignoscat, ei tamen oratione Dominica non est interdicendum, si illud (nos) non ad se referat, sed ad Ecclesiam, cuius ipse est membrum & pars: in qua Ecclesia boni non solum dimittunt, sed pro persecutibus etiam Deum precantur: sibi verò roget eundem animum dari, & inimicam voluntatem ad amorem & benevolentiam flecti.

ET

ET NE NOS INDUCAS IN,
tentationem.

*Ad quid necesse est petere ne in tentationem
inducamur?*

POST peccatum nullū est grauius malum,
quā periculum peccandi, quod nobis à
tentationibus impendet; quas quidem ten-
tationes cum suscitent Dæmones, qui nun-
quam vel transfuersum digitum à nobis dis-
cedunt; mundus, qui nos circumdat; & caro
domesticus hostis, quem circumferimus, fa-
cilè intelligitur, quam sit necessarium cre-
brò istam petitionem iterare.

Quibus modis tentamur?

Tentare, est experiri & periculum facere.
Hoc ex varia intentione eius qui tentat; va-
rijs modis, nunc rectè fit nunc malè.

Primò, enim tentat quis vt norit, quid in
alio lateat, quo modo examinatur discipu-
lus à præceptore, vt periculum faciat erudi-
tionis. Deus qui omnia nouit, & quem nul-
lum latet secretum, hac ratione neminem
tentat.

Secundò, vt is ipse cum quo agitur, se
nosse discat, & virium suarum vel imbecilli-
tatem, vel robur perspiciat, sic CHRISTVS
Philippum tentauit dicens: *vnde ememus pa-
nes vt hi manducent.*

Tertiò, vt alijs cuiuspiam conditio pate-
fiat: sic coram parentibus fit periculum de
filij eruditione, & eo modo tentauit Deus
Abrahamum, Iob, Tobiam, vt posteritati
horum Sanctorum virtus probaretur.

Matt. 4.

Quartò, vt ad malum inducatur, quo
pacto hostis sui vires quispiam explorat, vt
tentando noceat. Hic modus est dæmonis
ministrorumq; eius, impiorum hominum;
qui etiam dæmon, ab hoc officio, nomen in-
uenit tentatoris, quia in eo omnis eius indu-
stria defudat, vt tentando decipiat, noceat,
perdat.

Quos tentat Dæmon?

Omnes omninò homines, in quibus est
rationis vsus, nemini parcens, nec bonis, nec
malis; & quidem mali, quod tentatoris vo-
luntati semper obtemperent, non sentiunt
tentationis molestiam, tanto peiori loco,
quod in potestate sint immanissimi tyran-
ni, existimantes pacem, cum nulla sit pax im-
pijs. Boni verò, qui tētationibus repugnant,
magnam ex illis molestiam percipiunt, se-
que tutos minimè esse, sed periculosum bel-
lum continenter gerere, facilè intelligunt.

At quibus modis?

Modi quibus homines dæmon aggredi-
tur, tametsi ob innumeras eius artes, lon-
gamque experientiam, & mentis subtilita-
tem, exponi facilè nequeant, constat tamen,
quod

quod aliquando per se ipse adoriatur hominem, sicut Euam, & Christum; aliquid quando ministros adhibeat mundum & carnem: Et illos quidem per se malis suggestionibus vexat potissimum, qui relicto Mundo, carnem suam cum vitijs & concupiscentijs mortificauerunt: Cæteros verò, qui vel magnam habent cum mundo consuetudinem, parumque studij ponunt in reprimenda petulantia carnis, per hæc ipsa solet exagitare.

Et primò quidem more Ducum exercitus, circumiens inuestigat infirmiora loca, per quæ minore negotio possit irrepere; explorat nempe ad quæ vitia magis homo propendeat.

Secundò verò, ea parte obijcit aliquid sensibus, vt passio excitetur, quam ipse pro viribus promouet interno motu: tum magno strepitu adhibitis omnibus machinis impetum facit, vt hominem multitudine hostiũ terreat; hinc Mundus, hoc est, quidquid Mundus habet, insurgit, irrisiones sociorum, indignatio amicorum, exempla praua malorum, improba doctrina Hæreticorum, prosperitas & commoda, aduersitates & pericula. Inde dæmon ipse vitia extenuat, virtutumque nomine in præsent negotio vestit, superbiam honestatem; auaritiam prouidentiam; gulam, discretionem; iram zelum; inuidiam iustum dolorem; luxuriam

xuriam delectabilem recreationem; accedam curam sanitatis, appellitans, virtutes autem habitu vitiorum repræsentat. Hunc impetum senserunt Iob, Tobias, Antonius & Christus ipse; cuius tamen animam nullus sensus attigit.

Cæterum quia hostis tunc securus pugnat, quando antagonistam armis, quibus se defendat, nudavit, hoc sedulo studet dæmō, ut arma abijciamus, aut in ijs utendis impediamur.

Quæ sunt arma aduersus hunc hostem?

Primò, oratio, à qua conatur abducere turpibus cogitationibus, infidelitate, scrupulis, tedio, &c.

Secundò, bona opera, præsertim consuetudo confitendi & communicandi, quibus obijcit impedimenta, vel occupationum, vel aduentus amici, vel prætextu maioris boni, vel alterius rei, ut vel semel intermittantur: sic enim augentur ei vires, de positis à nobis tantisper armis.

Tertiò, conscientia confessario, viro docto, proboque aperta; quam rem ita male fert dæmon, ut suas suggestiones, & scelestas consilia omnibus modis occultari studeat; ne si prudenti viro detegantur, sola narratione (quod nō rarò euenit) sordescant narranti, doli que earum & fœditas appareat; vel
fano

fano consilio repellantur, & in posterum caueantur.

Quartò, humilitas, quæ vt internum gratiæ fructum conseruat, ita terrori est atque inuisa superbo dæmoni, qui quærit vt garrulitate, ad Euæ exemplum aliquid effutias & iactes, quo gratia humilitateque spolieris.

*Vt ab omni tentatione simus immunes
petimus?*

Non vult hoc nos petere Dominus, propter multas tentationum vtilitates, quæ sunt primò imbecillitatem nostram agnoscere, in humilitate conseruari, à Deo que auxilium flagitare.

Secundò, Naturam, vires & artes Dæmonis intelligere, ad nostram aliorumque institutionem.

Tertiò, Peccata vitare, quibus subministrantur aduersario arma; sectarique virtutes quibus adimuntur.

Quartò, semper in acie stare paratos ad pugnam, quia aduersarius nunquam dormiens circumit querens quem deuoret.

1. Pet. 5.

Quintò, Post certamen & victoriam coronari, & triumphare; *nemo enim coronabitur, nisi qui legitime certauerit.* Vult autem Christus nos esse sollicitos, ne in tentationem inducamur, hoc est ne à tentatione absorbeamur & superemur.

1. Tim. 2.

An Deus aliquando ducit in tentationem?

Dicitur Deus in tentationem inducere, non quod ad peccatum hortetur, aut quemquam impellat; sed primò quidem, quod nos sua gratia prior ipse à nobis desertus, deferens, vel ad tempus pro nostra instructione, humilitate, maioriq̄ sollicitudine, deflituens, patiat̄ur in potestatem venire Diaboli, qui paratus ad deuorandum, expectat folius Dei ab anima discessum, sicut lupus discessum pastoris, & canis, vt inuadat relictam ouiculam.

Secundò, quia multis beneficijs nos ornat, quibus vitio nostro, ad interitum nostri ipsorum quandoque abutimur, quo modo dixit Poëta, Perdit patrum indulgentia natos.

Expone ergo quid hoc loco petamus?

Primò, Gratiam, ne aliquando consentiamus peccato, sed si tentari nos volet Deus, *1. Cor. 2.* faciat etiam cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere.

Secundò, Ne occasionem demus, vt merito à Deo deseramur: vel superbia vt *Gen. 3.* Eua, vel præsumptione, vt *Mat. 26* Petrus, vel alia quauis ratione.

Tertiò, Vt si vitio nostro in peccatum aliquod lapsi fuerimus, ne cor nostrum, instar *Exod. 7.* Pharaonis induret; sed statim emolliat atque conuertat, vt resipiscamus.

Quar-

Quartò, Vt beneficia quibus abutere- *Dan. 4.*
mur, à nobis auferat, & cum Nebuchodo-
nosore potius abijciat, & faciem nostram ig-
nominia repleat, quam vt à nobis diuinam
suam maiestatem offendi patiatur.

Quintò, Vt vires & impetum Dæmonis
frangat, infirmitatesq; nostras sanct, ne inde
arma Dæmoni, ad nos prosternendos sub-
ministrentur.

Sextò, Vt perseuerantiam largiatur in
bono, omnesq; peccatorum occasiones
remoueat.

Fructum collige.

Discimus hominis vitam militiam esse *Iob. 7.*
super terram, quodq; bonos milites decet in
ciuitate ab hostibus cincta, id nobis imitan-
dū; itaq; Primo consilia, mentemq; aduer-
sarium peruestigemus, quid verbis, factif-
que intendat exploremus; quia enim ange-
lus satanæ in angelum lucis, nō rarò se trans-
figurat, hōc modo intelligemus esse impias *2. Cor. 11.*
dæmonis suggestiones, si per illas à Deo nos
alienores fieri cognoscamus, hōc est, si in ho-
mine pio, quietem internam perturbent, in-
tellectui tenebras offundant, feruorem de-
uotionis minuunt, ad sancta exercitia ora-
tionum, confessionis, communionis, & alio-
rum huiusmodi minus aptos reddant; & de-
nique si animum ad externa solito magis
abducant.

Secundò, Portas istius castrì nostri vigilantissimè custodiamus, hoc est, sensus & linguam, ne quid irrepat, quod animam lædat, aut efferatur per inanem sermonem, quod ad munitionem pertineat.

Tertiò, Vt domesticum hostem, qui fœdus cum externis aduersarijs dæmone, & mundo iniuit, ceu notum proditorem, mortificemus, carnem dico cum vitijs & concupiscentijs.

Quartò, Vt in ducem nostrum Christum continenter intueamur, eius auxilium imploremus, magna fide, in eū speremus, omnia nobis de eius viribus, bonitate & charitate promittamus.

Quintò, Tametsi aduersarius quandoq; magno impetu insultet, varijsq; partibus ac modis nos adoriatur; Mundi irrisionibus, aut conuitijs, clamores excitet, inopiam minetur, mala exempla proponat, improbos Doctores submittat, nihilque intentatum relinquat, nihil nos vel terreamur, vel moueamur, sed forti animo in pugna perstemus; & libidinosas quidem tentationes, declinando occasiones, excutiendoq; impuras cogitationes superemus: cæteras verò, contrarijs virtutum officijs, superbiam humilitatis, iracundiam mansuetudinis; gulam temperantiæ; in ipsis quoque medijs peccandi occasionibus, luctantes vincamus. Ea est

est enim conditione fatanas, vt semel fortiter prostratus, debilitetur viribus, minusque sequentibus pugnis, quam primo insultu possit.

Sextò, vt dæmonis occultas suggestiones, viro prudenti, atque experto, candidè aperiamus, eiusque consilio vtamur, tametsi vel exiguitas rei, vel fœditas pudorem fortassis iniiciat; hostium enim consilia manifestanda sunt illi, qui loco Christi Ducis in hoc bello te dirigit, superiori inquam, confessorio, aut viro in hac arte perito & exercitato.

SED LIBERA NOS

à malo.

Hæc petitio cur vltimum locum obtinet?

PRimo, Quia videtur complecti summam præcedentium petitionum, quibus rogamus partim quædam mala à nobis propulsari, partim bona concedi; quibus carere malum est ingens.

Secundò, Quia inter mala sunt illa minima: quæ nobis plus molestiæ exhibent; nempe calamitates & miseriæ, quas etiam Christus vltimo loco collocavit in oratione sua iturus ad passionem; *Rogo vt serues eos à malo. IOAN. 17.*

Ob has duas prædictas rationes, populus in Missæ sacrificio, hanc petitionem profert, tum vt approbet quæcunque à Sacerdote in

I 5 præ-

præcedentibus petitionibus orationis Dominicæ postulata fuerunt: tum quia vulgus hominum vehementius, quàm optimates, calamitatibus oppressū, ab illis cupit expediri.

Quæ mala hoc loco deprecamur?

Malum hoc loco non accipitur pro peccato; aut culpa, sed pro pœna; suntque tria potissimū mala quibus affligimur; quæ hoc loco deprecamur. Primò, Dæmon, qui licet natura sit bonus, malus tamen, aut malum dicitur; tum quia primus autor peccati, tum quia inueteratus nihil præter malum cogitat, continenterque hominibus singulis præsens, omnem querit & arripit, ad nocendum malumque inferendum ansam.

Rom. 7.

Secundò, Concupiscentia, quæ ex peccato originem ducens, ad malum nos inclinat; de qua Apostolus; *Non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum: &, malū adiacet mihi.* Hæcque ferè sola causa est, quamobrem externa illa, alioquin adiaphora molestè, impatienterque tolerantur, & mala nobis efficiantur.

Jud. 6.

Tertiò, afflictiones quælibet molestæ, siue externæ illæ sint, siue internæ; quibus omnes conflictamur, nemine profus excepto, etiam iusti & sancti, ad eò ut res illa non solum offenderit ethnicos, qui ob id negarunt Dei prouidentiam, sed etiam fideles quosdam, ut constat de Gedione, Dauide, & alijs

alijs Prophetis: vnde illa Psalmistæ vox: *Mei Psal. 72.*
pene moti sunt pedes. Hinc intelligimus, quam
 fit necessaria ista petitio, cum tam vniuersa-
 lis sit homini tribulatio, vt nullum sit eius
 membrum, nullaque potentia, quæ sua affli-
 ctione, molestiaque careat, nullaque creatu-
 ra quæ non miserum hominem vexet.

*Hanc à malis omnibus liberationem vt quid
 à se peti voluit Deus?*

Primò, vt nobis pium suum, paternum-
 que animum in nos declararet; qui talis est,
 vt cupiat nos quietam molestijsque vacu-
 am ducere vitam in hoc mundo, atque tan-
 dem ex hac temporali quiete, ad æternam
 requiem migrare.

Secundò, ne aliunde remedia, quam à
 Deo, aut secundum Deum quæramus: non
 à Sagis, aut Dæmonibus; neque à medicis,
 nisi se placato prius, & inuocato: Dei enim
 solius est depellere mala, qui solus infligit
 pœnas omnes, iuxta prophetiam: *Non est ma- Amos 3.*
lum in ciuitate, quod Dominus non fecerit: quod
 agnoscens Iob, neque dæmoni, neque ho-
 stibus quidquam acceptum tulit, sed demis-
 so pacatoque animo dixit: *Dominus dedit Do- Iob. 1.*
minus abstulit.

*Quare optimus sapientissimusque Deus suos
 afflicat?*

Vt alteri malo longè perniciosissimo
 medeatur. Sicut enim medicinam amaram
 acci-

accipimus; aut membrum aliquod fecari patimur, valetudinis restituendæ, vel conferuandæ gratia; ita postquam culpa nostra irrepsit peccatum, quod est omnium malorum maximum terribilissimumq; (utpote quod priuat hominem Deo, summo bono) immissa sunt mala alia & calamitates, magna Dei prouidentia.

Primò, ut homo ex paruo malo intelligeret, quantum malum sit summum malum, hoc est, peccatum.

Secundò, ut malum hoc magnum, paruo malo pellatur, atque in posterum vitetur; fit enim non rarò, ut qui propter peccatum affliguntur, postea ad seipfos, reuersi, ardentius viam diuinorum mandatorum currant; sicut illi, qui ambulantes non nihil offendunt & cespitant, solent exilire.

Tertiò, ut priuati hominis afflictio, toti Reipub. corpori profit, vel exemplo patientiæ, ut in Iob, & Tobia: vel meritis, ut in martyribus.

Quartò, ut augeatur bonis corona gloriæ, quæ tanta est, ut mirum sit non plures immitti molestias in hoc mūdo, aut aliquid boni hic concedi ijs qui ad gloriam illam parantur: sicut è regione, tanta imminent peccatoribus mala atque supplicia apud inferos, ut merito nemo illis inuidere debeat,
sum-

summam huius vitæ gloriam, & delicias etiam maximas.

Quomodo nos exercet Deus?

Quandoque utitur creaturis rationis expertibus, ut peste, fame, grandine, incendijs, siccitate, &c. quandoque malitia dæmonū, vel improborum hominum peccatis; quomodo usus est invidia fratrum in traditione Iosephi, & Pharisæorum in morte Christi. Nullum tamen peccatum committit Deus, neque ad peccatum cooperatur; licet opus illud ipse quoque præstet, quod homini quidem est peccatum tum quia vetitum, tum quia malo animo, atque ad malum finem relatum: Deus autem actionem ipsam, quæ in se res bona est operatur, eamque ad finem sanctum ac iustum dirigit: sicut igitur, si ad porrigendum inimico venenum, quispiam medici operam conduceret; quod venenum cum nosset, medicus homini illi ad sanitatem ob occultum sibi que soli cognitum morbum mirè, profuturum, gauderet sibi datam diu optatam occasionem hominis iuuandi, is suasor peccaret, seque grauissimo homicidij scelere astringeret; medicus autem, non modo nullum peccatum admitteret, sed optimè de viro illo mereretur: ita Deus peccata nostra, vel in nostrum, vel in Ecclesiæ bonum conuertit, malaque à nobis fieri permittit, ad maius bonum; quemadmodum
ligna

ligna nostra accendimus atq; consumimus, ut ex eorum combustione calor existat, aut cibus paretur, aut aliud quippiam, nostris vñibus utile ac necessariũ efficiatur. Notandum verò non nominari tribulationes, sed malum; quamuis enim ex se tribulationes omnes malæ sint atque affligant, ex occasione tamen sunt interdum aliquibus bonæ.

L I B E R A

Cuius rei admonemur illa dictione

LIBERA?

Sentiendum esse onus tribulationum, si sciliberari atque exonerari velimus, dandam operam, ut non simus insensibiles, qui neque dæmonum impetus, neque concupiscentiæ molestias, aduertamus.

Quibus modis liberat nos Deus?

Primò, Arcendo ne adueniant.

Secundò, Tollendo si adsint; quod tunc perfectissimè futurum est, quando in cælo summa scelicitate sine vllò malo perfruemur.

Tertiò, Conseruando in periculis, ut Daniëlem inter leones.

Quartò, Dando patientiam, ut B. Paulo, in stimulo carnis: & consolationem, ut martyribus.

Com-

Complectere paucis quæ hoc loco postulamus.

Primò, A Dæmone liberari, ne nobis vel per se, vel per ministros suos molestus esse pergat petimus.

Secundò, Concupiscentiam quæ in membris nostris latet, valdeque pios affligit, vel penitus extingui, vel infirmari.

Tertiò, Auerti à nobis atque tolli bella, pestem, famem, aliaque tum publica, tum priuata incommoda, vt sine molestia seruiamus illi.

Quartò, Vt in tribulationibus patientiam conseruemus, consolatione fruamur, gaudeamusque, vel quod pro admissis peccatis satisficiamus; vel pro nomine IESV cõtumeliam patiamur; vel quod tribulationibus merita augeamus.

Quintò, Vt ab æterna morte, summoque malo nos liberet.

Sextò, Petimus dissolui & esse cum Christo, vt tandem omnibus malis expediti, sempiternis in cælo bonis & delicijs circumfluamus.

Cur in fine AMEN dicitur?

Vox hæbraica, appellantis, aut affirmantis, concludit orationem. Primò, vt omnia antedicta aliquo seruore Deo rursus commendemus hoc sensu; O vtinam Deus ista præstes.

Secundò, vt si forte vitio nostro, inter orandum

randum minus attenti fuiffemus, hic nos colligamus, & petitiones noua attentione confirmemus.

Fructum collige.

Primò, vt peccata miseriarum malorum-
que omnium fegetem ac materiam omni
conatu fugiamus.

Secundò, vt afflictionibus benè vtamur,
voluntatemque noſtram cum Dei intentione
coniungamus; itaque neque blaſphemias
euomamus, neque conuitia iactemus; neque
ira, aut impatientia commoueamur, neque
puſillanimitate deiſciamur, neque vlli præ-
terquam nobiſmet ipsis, mala noſtra attri-
buamus, (hæc enim nihil ad leuandam mo-
leſtiam valent) ſed expitatis per Sacramen-
tum pœnitentiæ peccatis vitam benè beate-
que inſtituamus; Deo gratias, quantas poſ-
ſumus maximas agamus; quod nos, ad inſtar
chariſſimi ſui filij, pati aliquid velit, diuinæ
que ipſius prouidentię totos nos, quanti-
quantifumus, gubernandos committamus

E X P L I C A T I O S A-
L V T A T I O N I S A N G E-
L I C Æ.

Quis auctor ſalutationis huius?

NOn aliusquam Spiritus Sanctus, cuius
mandato præcipuam partem Angelu
G

Gabriel è cœlo tulit, alteram B. Elizabeth eodem numine plena fudit, postremam Ecclesia communis omnium nostrum mater, eiusdem Spiritus Sancti instinctu (qui orare nos docet & *pro nobis postulat genitibus in-* Rom. 8. *narrabilibus*) tanquam coronidem adiecit, ad fructum ex antecedentibus laudibus colligendum. Proinde hæc salutatio & gratissima est Deiparæ, vtpotè quam tunc audiuit, cum parens summi rerum omnium Domini fieret, & magna arte à summo artifice & ordine pulcherrimo facta.

Quot sunt eius partes?

Quatuor; Honorifica compellatio, incomparabilis laus virginis, gratiarum actio, ac beneficiorum postulatio. Nam post prima salutationis verba (AVE MARIA) tres eximie virginis laudes sequuntur, quarum prima (GRATIA PLENA) quomodo in se ipsa affecta sit significatur, nēpe gratia Dei, omnibus virtutum ornamentis, diuina quadam pulchritudine insignis, Deo cœlitibusque omnibus mirificè accepta.

Secunda, (DOMINVS TECVM) quomodo cum Deo se habeat, cuius sit mater, à quo nunquam deferatur, qui in ipsa reluceat.

Tertia, (BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS) quomodo erga creaturas; quarum est Domina, Regina orbis, patrona nostra.

K Adiun-

Adiungitur deinde laus Christo & gratiarum actio, (*BENEDICTVS FRUCTVS VENTRIS TVI*) qui talem matrem delegerit, atque inter se & genus humanum mediatricem, constituerit.

Demùm Ecclesia, vt salutatio in orationem desineret, & virgo mater tanti in se Deo collati propter nos beneficij memor, causam nostram apud Filium charissimum strenuè ageret, his verbis salutationem terminauit; Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ, Amen. Vt & in hac vita nobis continenter adsit, nostraq; studia & actiones gubernet, & animas nostras à morte in fidem suam acceptas, saluas & incolumes in cælo ponat.

Quid sibi vult honorifica illa compellatio

A VE MARIA?

Aue, gaude, lætare, salue.

Franc. Coster lib. 5. Instit.

MARIA nomen proprium, quod Dominam significat, & stellam maris, ac si dicemus verè Domina nostra es, ô *MARIA* humani generis patrona, & stella maris, peccatorum refugium, & consolatrix afflictorum, Gaude quod virtutibus ornata, quod virgo intacta, quod eiusdem personæ vera mater, cuius omnipotens Deus verus est pater. Quod sanctissimæ Trinitati singulariter dilecta, quam Spiritus Sanctus igne charita-

ritatis, suarumque gratiarum vbertate supra
 humanas vires ita repleuit; vt ad sustinendā
 vim incredibilem diuinæ in te liberalitatis,
 necessaria fuerit *obumbratio altissimi*: quam *Luc. 1.*
 pater ipse cœlestis præsentia sua capacē red-
 didit Dei, & viribus auxit, quibus contereres
 caput serpentis. Ex cuius purissimis sangui- *Gen. 3.*
 nibus Deus filius sibi corpus elegit, quamq;
 vicissim omni sapientia diuina instruxit. Cui
 tota Trinitas nō sine excellenti munere Dei
 filium vt matri commēdauit, sub cuius vo-
 luntate filium ipsum verum Deum, reueren-
 ter subiectum & obedientem esse voluit.
 Magna dignitas tua virgo beata; gaude igi-
 tur & exultet Spiritus tuus in Deo salutari *Luc. 1.*
 tuo, meque miserum clientem tuum istius
 tui gaudij participem facito. Hoc modo sa-
 lutata virgo pro sua benignitate resalutabit.

*Qua ratione Angelus Dei, mandato, gratia
 plenam dixit?*

Illud gratia plena, græcis est, gratiosa,
 hoc est, tota pulchra, tota decora, tota ama-
 bilis, in qua nihil sit non gratiosum, non de- *Cant. 4.*
 lectabile, non suaue, ne tantillum quidem
 atque est pilus capitis, quia etiam crinis vnus
 colli minus decorus vulnerat cor sponsi cœ-
 lestis.

Itaque primò, nunquam vel minimum
 habuisti peccatum, siue quod à primis hu-
 mani generis parentibus propagatum; siue
 quod

quod culpa aliqua tua commissum esset etiam leuissimum, & venia facile dignum, nihil vnquam vel opere, vel verbo, vel cogitatione inquam admisisti, quod non vsquequaque gratissimum esset Deo.

Secundò, omni affluens & ornata fuisti virtutum genere, ex ipso etiam vtero matris tuæ, in anima, & omnibus mentis tuæ integerrimæ facultatibus.

Tertiò, concepto Deo plenitudinem habuisti diuinitatis in te habitantem corporaliter.

Quartò, enixa Deum, non inanis à diuinitate mansisti, sed plenissima Spiritu filii tui, quia nouem mensium hospitium, locuples hospes prolixè persoluit.

Quintò, iam porrò in regno cœlorum repleta gloria, omnem prorsus creaturam pulchritudine vincis.

Cum Dominus sit cum omnibus creaturis, quid mirum quod sit cum MARIA?

Sensus hic est. Dominus omnis creatura tecum, O MARIA, est longe alia & excellentiori atque cum cæteris omnibus ratione, & modo.

Primò, ab æternitate & ante omnium sæculorum memoriam, in matrem te sibi elegit.

Secundò, corpus tibi purissimum, atque ad omnem sanctitatem aptissimum (instar arca

arca fœderis, quæ ex nobili ligno, quodque nec putredine, nec diurnitate posset corrumpi, intus & foris auro vestita, constabat) ex sanctissimis parentibus aptauit.

Tertiò, ab incunabilis tuis in te dilectam suam, oculos perpetuo conuersos, & intentos habuit.

Quartò, nouem mensibus in vtero tuo virginali commorari voluit.

Quintò, ad annum deinde tricesimum ætatis suæ, à te nõ recedens, quotidianis colloquijs instruxit, officijs suis ministravit, iucundissimo suæ consuetudinis fructu est cõsolatus, & continuo charismate donauit.

Sextò, mortalis vitæ suæ postremo triennio, quando perambulabat regiones Iudææ, non te deseruit, qui & moriens dilecto discipulo suo te commendauit. *Ioan. 19.*

Septimò, rediuiuus ab inferis te primam inuisit, & iam in cœlos assumptus, te præter cæteros omnes Christianos abundantiori Spiritus sui copia repleuit.

Octauo, morituræ asstitit, animam sanctam dulcissimè inuitans, in amplexus suos euocauit, quam delicijs affluentem, & super dilectum suum innitentem æterno patri obtulit, & iuxta se super omnes creaturas visibiles atque inuisibiles euectam, summa in gloria collocauit: Et quidem cæteræ virginum in cœlis sequuntur agnum quocunque ierit; *Cant. 8. Apoc. 14. 1. Thes. 4.*

& nos *semper cum Domino erimus*, in eius perpetuo intuentes voluntatem: Tibi autem semper adest agnus ille tuus filius, nihil aliter faciens tua voluntate, semper ergo nunc tecum est Dominus, tuoque sic gaudeat honore, ut qui tibi matri honorem deferret, ab eo sibi reputet eundem filius exhiberi: Nam quod mater honoratur ob filium, totus honor redundat in filium. Eia igitur Domina nostra, hunc filium tuum, quem nunquam deseris mihi quaeso concilia, cui mihi fauorem impetra, ad eum me ducito. Nobisque clientibus tuis *post hoc exilium ostende*; Hæc enim perpetua tua cum filio indissolubilis coniunctio facit, ut vita sis nostra, quæ Christum vitam nostram gestas & praebes; ut sis nostra dulcedo, quæ fructum in suauem ventris tui nobis offers; ut sis spes nostra, per quam peccatores conseruati in interitu fuimus, & poenitentes ad Christum reducti, atque in eius gratia reconciliati nem accepti sumus.

An solum inter mulieres benedicta?

Benedicta quidem es, o virgo, supra omnes creaturas, qua nulla sanctior, nulla felicior, nulla sublimior. At peculiari ratione benedicta supra mulieres.

Primò, quod mater & virgo.

Secundò, quod mater tanti filij.

Tertiò, quod enixa sine dolore.

Quartò

SALVTATIONIS ANGELICÆ. 151

Quartò, quod affecuta summam dignitatem, quæ in muliebrem sexum conuenire poterat. Duo erant conferenda officia, alterum viro, esse Regem orbis; alterum fœminæ, esse Reginam orbis: illud datum est filio, (*Mibi inquit, data est omnis potestas in cælo & in terra*) istud tibi concessum est matri, quæ redimita corona stellarum duodecim, pro purpura vestita Sole, Lunam habes sub pedibus tuis, vniuersam Ecclesiam hominum atque Angelorum, quia exaltata super choros Angelorum ad cœlestia regna, assumpta es ad æthereum thalamum in quo Rex Regum stellato sedet folio. Merito igitur Regina misericordiæ, Regina nostra verè misericors, ad te clamamus exules filij Euę, meritò ad te suspiramus gementes & flentes, in hac lachrymarum valle; meritò supplicamus, vt per te aditus fiat nobis ad filium, meritò per te rogamus, vt diuina charismata in corda nostra diuinitus infundantur. Tu mediatrix nostra ad filium, illi defers preces nostras, ab ipso refers misericordiam & gratiam. Quod collum inter caput & corpus, hoc tu inter Christum & Ecclesiam. Tu contriuisisti caput serpentis, omnes hæreses tu sola interemisti in vniuerso mundo, Tu præbes virtutes contra hostes tuos. Nihil enim Rex cœli, nisi de voluntate genitricis suæ, Reginæ mundi, nobiscum agit: & cen-

Matt. 28.

Apoc. 12.

setur facere mater, quicquid precibus obtinet, ut fiat à filio: Iacob enim Patriarcha cum de Sichimis loqueretur, quos non ipse sed filij expugnauerant, ita dicebat Iosepho: *Da tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæorum, & in gladio & arcu meo. Sane sicut Eua incredula à serpente seducta, omnium errorum mater fuit, ita M A R I A, quæ veritatem ipsam mundo peperit, caputque serpentis seductoris contriuit, non immeritò dicitur hæreses omnes interimere & errores fugare.*

Vnde benedictio illa in virginem manauit?

Ex inexhausto omnis benedictionis fonte Dei filio. Et **BENEDICTVS FRUCTVS VENTRIS TVI IESVS**; magna prærogatiua quod mater sis Dei super omnia benedicti, qui de tuo sibi corpore corpus accepit, mater IESV, hoc est, mater saluatoris, mater misericordix. Ad te igitur pertinet misereri semper & parcere, ne mater filio suo dissimilis, diuerso pietatis affectu videatur.

Verè, benedictus fructus iste, semperque benedicendus IESVS, qui talem matrem nõ tam sui, quam nostri causa elegit. Erat ipse super omnem creaturam, neque parem habens neque superiorem, factus homo virgunculam humilem, benignam, misericordem, affabilem, sibi præfecit in matrem, cuius tanto efficaciores essent pro nobis apud se ef-

se effusæ ac oblatæ preces, quanto maiori illa in filium DEVM polleret authoritate; neq; reluctari posset voluntati matris, qui parentibus omnem voluit honorem haberi.

Fausta precatione conclude salutationem.

Sancta MARIA mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ, Amen. Merito rogare potes, quia vt filia Abrahamæ, caro nostra es: vt Domina, curam nostrigeris: vt orbis Regina, nihil non potes: vt mater Dei, cuncta impetrabis, filius est quem rogas; pro tuis clientibus rogas: & ea quæ filio tuo accepta sunt rogas: oramus enim mala omnia illa à nobis auerti, bonaq; concedi, ad quæ propulsanda filius DEI in vtero tuo, carne assumpta, factus est homo.

Per te igitur quæso omnia bona impetremus, per quam bonorum omnium authorem accepimus.



K 5 CAPVT